



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XXVII. Novembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Bilhildis solenne Deiparæ honori templum & monasterium extruxit, eo fœnore, ut cùm baptizatam se non fuisse ignoraret, id ipsum cœlesti monito didicerit. *Mayr.* Non cessat Maria iis benefacere, qui eam non cessant amare.

S. Bilhildis ora pro me Deiparam, ut quæ omnia salutis meæ impedimenta optimè novit, illa mihi, ut sciam, pandere, imò à me clementer amovere; ea verò quæ morti beatæ ac felici æternitati necessaria esse videt, fideliter mihi largiri benignissima Virgo dignetur. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, quantum &c. fol. 190.

Ad quod impetrandum: in memoriam 11. annorum, quibus Deipara in templo vixit, totidem Mariani amoris actus eliciam.

Virgo invenitur cœlestis Sponsa & Mater, quæ donorum ante nuptialium nomine Spiritum Sanctum accepit. Dotis verò gratiâ cœlum verè cum Paradiso; quid non filii ab ea sperent. *S. Epiph. l. de laud. V.*

Quæstio: An in templo, an juxta templum Deipara habitaverit? *v. Orig. sr. 26. in Math.*